

vel intelligi debere, non est dubium; Augustinus: (nn)
 Quoties aliqua infirmitas supervenerit; plane juxta
 rationem & observationem meam primam, quâ Jaco-
 beam & Papisticam unctionem non convenire, sed dif-
 ferre, ad oculum ostendi: Jacobea enim quibusvis in-
 firmis conferebatur; *ὁσ δὲ ἐνέει τις, infirmatur aliquis, Ja-*
cob. V, 14. & Chrysostomus cum illo; *si egrotantem, &c.*
 Ephrem; *de Fidelibus egrotantibus, &c.* Innocentius
 quoties NB. aliqua infirmitas supervenerit, Augustinus;
 Papistica verò tanquam extrema pertinet ad Candidatos
 mortis. Quem unctionis sensum apud Apostolum
 proinde non novum & à nullo Patrum visum vel appro-
 batum esse, hinc simul manifestè constat. Quid verò ad
 nos Concilium Florentinum & Tridentinum, nova illa
 & omninò Papæa, quæ eum loco Rei consistant, nullo
 jure subsellium Judicis adversus nos occupare possunt.
 Nondum autem ineptiarum & falsitatum satis. Testem
 enim omni exceptione majorem, Cardinalem Cajeta-
 num, quem pro me (oo) adduxeram, repudiat, simu-
 lando (pp) contra conscientiam, me non addidisse,
 ubi & quo loco hæc dicat. Inspice verò, **BOSSVETE**
Illustrissime, haud gravatim (qq) verba mea: indicem
 meum digitum, quem ad Commentarium in Epistolam
 Jaco-

(nn) Sermo. 215. de Temp.

(oo) In Exam. Prof. Fid. Trid. cap. 10. pag. 253.

(pp) d. l. pag. 108. in fine: Subjungit (Alberti) verba Caje-
 tani, quasi neget ex verbis Jacobi V. vel ex effectu hæc
 intelligenda de Sacramentali unctione; sed non addit,
 ubi & quo loco hæc Cajetanus dicat, ideoque verbis
 Alberti non credimus. Extant verò allegata Cajetani
 verba in cit. Commentar. fol. 212. a.

(qq) Rectè Cardinalis Cajetanus ipse in Jac. V. &c. p. 252. seq.